



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VIII. An votum non acceptandi Episcopatum absque superioris præcepto
conuenienter fiat in Societate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Exponitur
consensus.

illud peccatum magis priuatum est; & non ita nocet corpori religionis. Pro his autem, qui intra eandem Societatem, directè, vel indirectè prælatione procurant, ponitur poena incapacitatis, & inhabilitatis ad quamvis prælationem: quod intelligi respectu id est, de prælatione intra eandem Societatem; usurpantur enim verba iuxta subiectâ materiam. Et poena hæc non incurritur ipso facto, sed post sufficientem probationem, atque adeo post sententiâ saltem declaratoriam criminis. Itâ enim intelligo illa verba, *Incapaces, & inhabiles, ad prælationem, quamvis habeantur ij, de quibus probari posset, quoddam ambigunt.* Non enim de sola potestate, seu possibilitate intelligendum hoc est, ita ut satis sit delictum esse probabile: sed de potestate redacta ad actum; ita ut quis sit conuictus de crimine, de quo oportet, ut per sententiâ constet. Atque ita expressius declaratum est p. 8. constit. cap. 6. §. 2. cum declaratione A. ubi specialiter sermo est de ambitione Generalatus; & augetur hæc poena, quia non solum imponitur inhabilitas passiva, ut eligi possit, sed etiam actiua, ut possit eligere; non solum pro ea vice, sed etiam perpetuò, ut declarant illa verba. Nec in eam congregationem, nec in aliam unquam admitti possit. Requiritur tamen ibi ad huiusmodi poenam, ut prius aliquis de tali ambitione conuictus sit: & in declaratione A. exponitur ad totam hanc poenam incurrendam, necessarium esse, ut probationes tales sint, ut rem ipsam, seu veritatem sufficienter ostendant: nam si solum efficiant probabilem suspicionem, illa non satis erit ad poenam inhabilitatis neque, ut aliquis suffragij iure priuetur, licet aliud remedium adhibendum sit, ne illa persona tunc eligatur, tanquam minus idonea, minusve digna.

XVII. Quod genus poenæ ac prouidentia, satis est consentaneum, & rationi, tum, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit, tum etiam, quia per ipsam ambitionem fit quis indignus prælationis, ut rectè dixit Panorm. in cap. per inquisitionem, de electione n. 5. & propterea est poena hæc satis consentanea sacris canonibus, ut videre licet l. q. 6. c. ult. ubi Gregorius ait, sicut is qui mutatus renuit, questus refugit, sacris est altariibus admoendum: sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Similem poenam imponit Leo Papa epist. 82. cap. 8. Episcopo ambienti altioris Episcopatum, nam propria sede illum priuari iubet, habetur 7. q. 1. cap. si quis Episcopus. & idem refertur ibi cap. si quis de ordine, ex Concil. Meldensi cap. 30. & alij plene similes videri possunt in Synodo Romano II. sub Symmacho cap. 3. cap. si quis Papa d. 39. & in Concil. Romano sub Innocentio II. & cap. Apostolica, 8. q. 1. & concordant etiam iura ciuilia, ut patet ex l. sancimus. C. ad legem Iuliam repetundarum, quam refert etiam Gratianus l. q. 7. cap. sancimus, & plura de hac materia videri possunt in Simanquas lib. 2. de Republica cap. 9. 10. & seq. Ioannes Matienzo in Dialogo Relatoris 4. cap. 4. Alexander ab Alexandro li. 3. cap. 17.

CAPVT VIII.

De alio voto non acceptandi dignitatem aliquam extra Societatem, nisi præ iussu superioris ad id cogente, quod professi Societatis eduxerunt.

I.
Explicatur
tertium vo-
tum simpli-

tertium votum simplex quod fit à Professis Societatis vltra ea, quæ diximus in præcedenti ca. de prælationibus extra Societatem, includit partem aliam, quæ sub his verbis profertur. Nec consenturum in mei electionem quantum in me fuerit, nisi conatus

obedientia eius, qui mihi præcipere potest, sub potestate. Per quæ verba amplificabitur prius votum, & quasi nouum votum emittitur, eiusque materia prælationem omnem, & dignitatem extra Societatem comprehendit, eam verò in tit. c. nomine Episcopatus significauimus, quia in illo facilius cernitur difficultas huius voti, ut videbimus; & inde facile potest doctrina ad reliquas dignitates applicari. Quoad prælationem verò intra Societatem, non fuit conueniens facere huiusmodi ampliationem, quia intentio instituentis, seu fundatoris non fuit, ut prælationes intra Societatem non habeantur, hoc enim repugnaret gubernationi ipsius Societatis, & ideo non oportuit promittere illas non acceptas, sed solum non prætendere. Fuit autem intentio eiusdem instituentis ut extra Societatem omnino non habeantur quoad fieri posset, & ideo voluit, ut professi obligarentur, quantum possent, ad non acceptandas illas. Non potuerunt autem obligari simpliciter, & absolute, quia non possunt licite resistere præcepto superioris, & votum esse debet de re licita. Extra casum autem præcepti possunt liberè non acceptare & ideo potuerunt etiam obligari ad non acceptandum in omni casu non præcepto.

Hinc verò oritur difficultas: quia votum non solum esse debet de re licita, seu non mala, sed oportet ut sit de meliori bono, sed hoc votum est de re quæ impedit maius bonum, non igitur est validum nec conueniens votum. Minor probatur primò, quia melius est obedire simplici verbo Prælati quam expectare rigorosum præceptum eius. Itâ enim distinguit obedientiam perfectam à necessaria D. Bern. lib. de Præcepto, & dispensat. cap. 12. & seq. & D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. ad 3. & docuit etiam Ignatius 6. p. constit. cap. 1. §. 1. nosque in lib. 4. agendo de obedientia pertrinximus. Ergo nouere non obedire Prælato, nisi rigorose præcipienti, est votum impeditiuum maioris boni: effertque hoc votum reprehensibile in quolibet religioso, respectu sui Prælati. Simile autem videtur esse in præfenti; nam per hoc votum tollitur libertas obediendi Pontifici simpliciter mandanti accipere Episcopatum, donec cum rigore præcipiat. Quod par ratione est contra perfectionem obedientiæ debita Pontifici.

Secundò potest etiam alio modo hoc votum impedire maius bonum: quia interdum erit maius Dei obsequium acceptare Episcopatum, etiam si Pontifex non præcipiat: ergo si votum impedit tunc acceptationem, impedit maius bonum: ergo imprudenter fit cum illa generalitate, sed limitatio esse debuisse non acceptandi nisi ubi certum esse maius Dei obsequium. Antecedens patet, quia considerato obiecto, & circumstantiis, quæ occurrere possunt, dubitari non potest, quin sæpe contingere possit casus, in quo maius sacrificium Deo sit acceptare, quam repudiare Episcopatum, ut etiam constat ex dictis in præcedenti capite. Non est autem necesse ut in omnibus his casibus Pontifex adiungat præceptum, quia hoc pendet ex libera voluntate eius, & variae rationes occurrere possunt, ob quas nolit absolute præcipere, licet valeat, sed tantum offerre. Imò aliquando potest accedere: ut acceptare Episcopatum sit materia consilij, & non præcepti, quod proinde non possit etiam à Pontifice imponi. Quia status adeo perfectus non potest præcipi, sine graui necessitate: potest autem consuli propter maius Dei obsequium, maioremque perfectionem proximorum: ergo contra consilium, & maius bonum est ligari voto ad non acceptandum Episcopatum, nisi ex præcepto superioris.

Et confirmatur ex cap. 1. d. 85. ubi Gregorius Papa Crisostomus

de quodam Archidiacono ad Episcopatum electo, ut cognosceret an dignus esset, inter alia iubet inquiri, si tactis sacrosanctis Evangelii, sicut nobis nuntiatur, esset iustus, etiam praeiuramentum sibi ad Episcopatum accedere. Vbi significatur tale iuramentum fuisse illicitum, ideo enim de illo inquiri iubetur, ut glossa ibi notavit. Non est autem verisimile iuramentum illud adeo fuisse temerarium, ut factum fuerit de non acceptando Episcopatu, etiam si iuste praecipere ob necessitate: ergo intellexit Gregorius non fuisse prudens, & licitum iuramentum illud, etiam si absolute fieret de non acceptando Episcopatu, tunc quando licet potest non acceptari. Vnde Glossa ibi sentit hoc iuramentum, etiam in eo sensu intellectum, esse peccatum veniale. Quod in eo principio fundari videtur, quia tale iuramentum (& idem est de voto) repugnare potest charitati, vel saltem perfectioni eius: nam, ut dixit Gregorius cap. in Scripturis, 8. quæst. 1. Si quis, qui valet, omnipotentis Dei ius tenuerit, & ostendit se pastorem suum minime amare: Vbi Glossa dicit mortaliter peccare, qui Episcopatum sibi oblatum non recipit, si se dignum credit, quod confirmat ex cap. proxime precedenti, vnde Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 10. dicit merito contemni ab Ecclesia, & in opprobrium haberi eum, qui electus ab Ecclesia, ministerium evangelicandi tenuit, & qui curam lucrandorum refugit alio um. Et ideo dixit idem Augustinus 19. de ciuitate c. 19. negotium iustum suscipiendum esse ex charitate, si imponatur.

V. Denique confirmatur, quia intentio illa, in qua diximus fundari hoc votum, videtur esse contraria maiori bono Ecclesiae, & ideo non esse consentaneum ordini charitatis: ergo & votum, quod ab ea procedit, non potest esse charitati conforme. Antecedens patet, quia maius bonum Ecclesiae est, ut viri sanctiores, & doctiores ad Episcopatus assumantur, quam quod inferioribus ministerijs occupentur, iuxta illud Innoc. III. in cap. Lucæ, de Regularibus, si ut minus bonum minoribus non praepositur: ita communis utilitas specialis viris astringitur, sed hoc impeditur intendendo, & procurando, ut professi Societatis, etiam si religiosissimi, & doctissimi sint, ad Episcopatum non assumantur. ergo, &c.

VI. Propter hæc, & similia argumenta non defuerunt moderni auctores, qui votum hoc improbare ausi fuerint. Citatur Gutierrez de Iuramento confirmatorio 1. p. cap. 72. num. 5. & 8. & eodem modo referri possunt auctores dicentes, esse illicitum iuramentum non accipiendi Episcopatum; quod tenet Nauarr. in summa cap. 12. num. 16. cum Angelo verbo iuramentum 5. n. 3. & Syluest. iuram. 2. quæst. 7. & iuram. 4. quæst. 1. Anton. 2. p. tit. 10. cap. 6. §. 4. Soto lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. ad secundum, eam vero sententiam tenet expressè Palacios in 4. d. 38. disput. 1. ante medium versic. Sed quid si. liquet. lege vouet (scilicet non esse Episcopus) ut eximiat praepositi casum nunquid culpabile tunc est? votum? Respondet, Idem arbitror esse culpabile, quia casus praepositi rarus est in hac materia: satis est quod poterit esse salubre gregi Christi, quod hic, vel ille sit Episcopus, ideo non licet salubritate gregis Christi impedimentum esse ferre. Hæc ille. Fauet etiam idem Syluester verb. Episcopus, q. 3. in fine, quatenus dicit esse peccatum mortale non acceptare Episcopatum; non solum quando speciali præcepto Superioris quis cogitur, sed etiam absque præcepto, si probabiliter credat, quod per alium equè bene prouideri non potest, quia est contra fraternam charitatem.

VII. Nihilominus vera, & certa sententia est, votum hoc esse laudabile ex obiecto suo. Nobis etiam indubitatum est Societati esse valde laudabile, & opportunum. Prior pars sumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 2. d. 3. ubi sic inquit, Accipere Episcopatum non est de se necessarium ad salutem, sed sit necessarium Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

ex superiori præcepto: his autem, quæ sic sunt necessaria ad salutem potest aliquis impedimentum licet apponere antequam fiat præceptum. Loquitur autem de impedimento voti non acceptandi Episcopatum, de quo in argumento obiecerat. Vnde subiungit in solutione. Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatu, si per hoc intendit se obligare ad hoc, quod ne per obedientiam superioris prælati accipiat, illicitum vouet, si autem intendit ad hoc se obligare, ut quantum est de se, Episcopatum non querat, nec suscipiat, nisi in minime necessitate, licitum est votum, quia vult se facturum, quod hominem facere debet: & quodlib. 5. art. 22. in corpore, & ad 2. generaliter sentit melius esse non acceptare Episcopatum, quam acceptare; quandiu necessitas ex parte præcipientis non agnoscitur. Sequitur hanc sententiam Richardus quodlib. 3. quæst. 21. Syluest. verb. electio 1. quæst. 19. & 20. Idem sentiunt Antonin. Caiet. & Soto citati superiori capite num. 1. item Cordub. in Summa Hispana q. 154.

Fundamentum principale huius sententiae esse debet, quia propositum non acceptandi Episcopatum, quandiu id fieri possit sine culpa, optimum est, & consequenter est aptum ut voto confirmetur, vel aliter (& in idem redit) quia non acceptare Episcopatum, ex suo genere melius est, quam acceptare, quandiu utrunque licet, & ideo est apta materia voti. Consequentia per se clara est. Assumptum verò præter citata loca sumi potest ex D. Thom. in 4. d. 29. art. 4. ad 4. ubi reprobat opinionem dicentem Papam non posse præcipere alicui, ut accipiat Episcopatum: quia hoc posset perire Ecclesiæ, si sic ordo. Nisi enim alius quis pesser cogit ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conservari non posset, cum quandoque illi, qui sunt domini, hoc nolunt suscipere nisi coacti. In quibus verbis supponit hoc esse laudabile. S. etiam Bonaventura super regulam, cap. 2. circa medium, loquens de religiosis, quia Episcopale officium assumuntur, ait, si ideo ab Ecclesia, huiusmodi inuitabile necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab ordine egressi: si quantum in ipsis est, semper appetant in sinu ordinis conseruari. Quod si non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti ad eundem aspirant, ut fugiant arumnas pauperum, & ordinis rigorem, credo eos in illius partem cessuros, qui dixit, si deo in moni testamento, in lateribus Aquilonis. Vbi considerare possumus Bonaventuram duos tantum ordines posuisse, scilicet, vel eorum, qui coguntur, vel eorum qui male affectant, & procurant Episcopatum; cum tamen possit addi certius, eorum, qui vel non illicite, vel nullo modo Episcopatum quarunt, tamen oblatum acceptant, etiam si non cogantur. Cum tamen eos solum defendat, qui coacti inuitabili necessitate regimen suscipiunt, planè sentit alios omnes, à religionis affectu aliquo modo deuiare; atque adeo simpliciter melius esse non accipere episcopatum nisi prædicto modo.

Suaderi autem id præterea potest antiquiorum Patrum sententijs. Augustinus enim 19. de Ciuit. c. 19. necessitatem requirit, dicens, Negotium iustum suscipis necessitas barbarum, quam sarcinam si nullus imponit, veritatem contemplantia v. candum est. Quod maxime dicere potuit propter sarcinam Episcopalem: de qua idem August. epist. 148. ad Valerium. Et habetur c. ante omnia d. 40. dixit nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio Greg. etiam 1. p. Pastoralis cap. 6. eius humilitatem laudat, qui regiminis culmen ex corde fugit, & cum sibi imperatur, inuitus obedit. Multaque similia sumi possunt ex cap. 7. sequenti, & ex eodem lib. 6. epist. 5. & habetur in cap. in scripturis, §. q. 1. sunt etiam ad hoc propositum grauisima Imperatorum verba in L. si quinquam, 39. C. de Episcopis, & clericis, castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocunque locorum peruen-

VIII. Fundamentum est votum præteritum.

IX. Accedunt pro eadem parte dicta antiquorum.

nerit omnia vitæ integritate purificet. Tantum ad ambitum debet esse sepositus, ut queratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectum enim indignum est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitatus; veroque quantum in ipso est, nam absolutus consensus necessarius est, saltem supposito præcepto.

X. Tertiò asserre possumus ad hoc confirmandum antiquorum Patrum exempla, qui quantum valuerunt dignitatem Episcopalem recularunt, qui varijs medijs vsi sunt. Primum est admirandum potius quam imitandum, huiusmodi est; quod de Marco Euangelista refert Hieronymus in prologo ad Marcum, qui in Glossa ordinaria circumfertur, amputasse sibi pollicem, ne Episcopus fieret; sed ille prologus & falso ascribitur Hieronymo, ut in emendatioribus libris Hieronymi tom. 7. ante commentaria in Marcum, annotatur: & ibi etiam narratio illius facti omittitur; & in lib. de scriptoribus Eccles. in Marco, nihil huiusmodi insinuat. imò ea, quæ simpliciter narrat, videntur cum illa historia repugnare. Nicolaus autem de Lyra dans eundem illi narrationi dicit non amputasse sibi totum pollicem, sed partem aliquam, quæ non fuit sufficiens impedimentum, ut Episcopus fieret. In quo non rectè diuinat, nam si amputauit sibi pollicem ne Episcopus fieret; potius credendum est tantum abscidisse, quantum ad impediendum Episcopatum sufficeret; præsertim, quia etiam partem abscindere, de se malum esset: si autem aliqua ratione excusari potest, tam in toto, quam in parte excusari debet. D. igitur Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. responder Marcum non peccasse nolendo Episcopatum, imò in hoc exemplum eius esse per se laudabile: medium verò illud per se non fuisse licitum; credibile autem esse ex instinctu Spiritus Sancti Marcum eo vsu fuisse. Quòd si hoc verum est optimè, & veluti per quandam exaggerationem docuit nos Spiritus S. quantum illi placeat intentio & desiderium fugiendi Episcopatum.

XI.

Simile exemplum est, quod de Antonio Anachoreta refert Lyra supra ex lib. qui dicitur Paradisus, nam cum quidam ciues vellent eum rapere, & constitueri Episcopum, ferro secuit sibi aurem sinistram, dicens, in lege diuina esse prohibitum, ne quispiam aure præcisâ Episcopus fiat; sed mirum est tam inigne factum fuisse ab Athanasio omissum in vita Antonij. Si autem verum est, intentio probanda est: medium autem minime, sed excusandum, vel propter ignorantiam, vel per instinctum Spiritus S. Fortasse autem Lyra loqui voluit de Ammonio monacho; de quo factum hoc refert Palladius in historia cap. 12. Socrates lib. 3. historiae cap. 30. qui addit cum Ammonius non obstante defectu auriculæ, cogeretur Episcopatum accipere, iureiurando se obstrinxisse, si vim inferre sibi conarentur, linguam quoque excisurum. Socrates verò addit Euagrium Ammonium perstrinxisse quòd auriculam præcindendo facinus fecisset, seque coram Deo reum ipse peregisset, quam culpam nō negauit Ammonius; sed cum idem Euagrius etiam aufugeret, eo quòd ad Episcopatum esset electus, illi respondit Ammonius: *At tu Euagri non putas te penas daturum, quòd lingua propter nimium tui amorem excisa, gratia, quæ donata est tibi, minime vsus sis.* Hoc igitur modo sancti illi viri pro euitanda dignitate Episcopali, & in alium reiicienda inter se certabant. Mirabilia etiam sunt illorum sanctorum exempla qui cum hominibus resistere non possent, quin Episcopi fierent, à Deo mortem impetrarunt, prius quam Episcopatum accipere cogerentur. ita referunt de S. Nilamone Sozomenus lib. 8. historiae, cap. 19. & Nicephorus lib. 13. cap. 17. & de S. Goare refert Vandelbertus lib. 1.

vitæ eius cap. 14. & 15. habetur apud Surium tom. 4. die 6. Iulij, & Vincentius in speculo historialis, libro 22. cap. 13. & sequentibus.

Præter hæc verò sunt alia frequentia etiam sanctorum exempla, qui modo magis humano, quam præcedentes, atque (ut sic dicam) morali & imitabili quantum potuerunt, electioni suæ ad Episcopatum, vel fugiendo, vel se occultando, vel precibus obsecrando, vel alijs modis resistunt. Ita refertur de Gregorio Nazianzeno, Basilio, Martino, ac Cypriano, Ambrosio, & Augustino, Chrysostomo, Gregorio Magno, Antonino, & Laurentio Iustiniano, Malachia, & alijs, de quibus videri potest Surius in historijs de vitis eorum; & specialiter Ambrosius de seipso, id refert in epist. ad Vercellensem Ecclesiam; refert etiam Rufinus lib. 2. historiae cap. 11. & Socrates lib. 4. historiae cap. 25. tripart. lib. 7. historiae cap. 8. & habetur in cap. Valentinianus, d. 63. Augustinus etiam de se idem significat epistol. 148. ad Valerium, & habetur in capit. ante omnia, d. 40. ac videri etiam potest in serm. de communi vita clericorum, ubi de se dicit, *Adhuc timebam Episcopatum, ut, quoniam ceperat iam esse alius momenti inter seruos Dei fama mea, in quo loco factum non esse Episcopum, non illo accedarem.* Cauebam hoc & agebam quantum poteram, ut in loco humilis seruaret, ne in alio periclitarer. Sed vii dixi: Domino seruis contradicere non debet; indicans tunc solum fuisse acceptasse, quando intellexit esse Dei voluntatem. Idem de D. Gregorio intelligi potest ex lib. 1. epistolarum epist. 3. 4. 7. 25. 26. 29. & 30. in quibus valde dolet de Episcopatus onere sibi imposito, & de amicis conuenit quòd de illo tanquam de bono aliquo ei gratularentur. In epist. autem 31. subdit, *Homo nescit ad appetendum locum procax insistere, neque ad repellendum contumax debet inueniri:* vnde indignus ego ad suscipienda Episcopatus onera iussio omnipotentis Dei vestraque me voluntati subditi De Laurentio etiam Iustiniano ad rem nostram considerare possumus quòd quantum potuit, episcopatum recusauit, donec resistere non potuit Eugenio Papæ ter iubenti, ut refert Bernardus Iustinianus in vita eius cap. 4. in fine. Denique hæc etiam spectat, quod de se refert Clemens 1. epist. 1. resistisse se Petro volenti se Episcopum creare, donec ab eo audiuit; *Si periculum peccati timeas, suscipere refugis Ecclesie gubernacula, certus esto quòd amplius peccas, qui populum Dei, velut in fluctibus posuimus & periclitando, cum inuare possis, subterfugis, tu tantummodo habens considerationem, & non quòd in communi omnibus expediat, providens.*

Quibus etiam addi possunt eorum exempla, qui non solum affectu conati sunt, sed etiam effectum Exempli obtinuerunt ne Episcopi herent, quanuis à summis Pontificibus inuitarentur. Quod de S. Bernardo, & sancto Thom. de Aquino & alijs, nostræ etiam & sanctæ Thom. de Aquino & alijs, nostræ etiam religionis hominibus, celebratum est, legique potest apud Hieronymum Platum lib. 1. de bono lastus relig. cap. 38. Alij denique semel obtentam dignitatem, postea repudiarunt. Cælestinus V. Pontificatus renunciauit, ut colligitur ex cap. 1. de renunciat. in 6. Petrus Damianus Cardinalis, & Episcopatum reliquit, quanquam ob eam rem grauis poenitentia ei fuerit à Summo Pontifice imposita, quam ipse acceptauit, tamen in defensionem facti sui apologeticam epistolam ad Gregorium VII. scripsit, quæ habetur in Bibliotheca sancti. tom. 3.

Vltimò probatur ratione assertio posita. Quia licet Episcopatus sit status perfectissimus, supponit tamen, non confert perfectionem; per se loquendo, cum tamen illam requiratur, ne illum accipiens se multis periculis exponat; ergo loquendo ex obiecto, quandiu homo potest sine peccato Episcopatum recusare, melius faciet illud.

lum recusando, quam acceptando, saltem moraliter, & ut plurimum loquendo: ergo votum non acceptandi in tali casu ex suo genere optimum est; consequentia est clara, quia votū de meliori bono laudabile est. Antecedens patet, quia non acceptare, in ordine ad propriam salutem est securius, & quoad propriam estimationem suūpsum, est humilior, & à propria presumptione maximè distans: ergo ex his capitibus hoc melius est, magisque consentaneum perfectioni. Aliunde verò sufficienter prospicit quis utilitati aliorum, si paratus est illud onus accipere, quando vel charitas, vel obedientia obligaverit: ergo. Ut autem vim huius rationis exponamus, declarare oportet sufficienter, materiam huius voti, quoad illam exceptionem, nisi ex obedientia eius, qui precipere possit, in illa enim sola, tota difficultas versatur.

XV.
Hoc Societas
votum
comprehendit
etiam præ-
ceptum cha-
ritatis, &c.

Et in primis certum est, ibi non solum excipi præceptum positivum humanum: nam licet Papa non præcipiat sub virtute obedientiæ, si alia via certò constaret iudicio prudentium, præceptum charitatis obligare ad suscipiendum illud onus in bonum proximorum, propter aliquam urgentem Ecclesiæ necessitatem, non est dubium; quin casus ille non comprehendatur sub hoc voto, nec re ipsa; quia votum non potest obligare contra charitatem; nec ex intentione vouentis. Nam absolute excipitur obedientia eius, qui precipere potest sub pœna peccati, tunc autem intercedit obedientia Dei, qui sub reatu culpæ precipere potest: ergo casus ille sub dicta exceptione comprehenditur. Et à fortiori comprehenditur quilibet casus, in quo contingeret diuinam voluntatem speciali signo, & miraculo manifestari, ut cum antiquis sanctis interdum factum est: nam illud vim quandam specialis præcepti diuini habere videtur. Deinde si necessitas Ecclesiæ, aut proximorum non sit tanta, ut charitas ipsa per se obliget sub peccato acceptare Episcopatum, satis videtur cuiusque alteri necessitati, vel utilitati proximorum subuenire, obediendo superiori præcipienti acceptare Episcopatum: at hoc modo magis vitantur omnia incommoda, & pericula: ergo sufficienter fit illa exceptio. Maior patet, quia magis pertinet ad curam superioris cura boni communis, quam inferioris: item magis nota potest illi esse utilitas communis, & necessitas talis personæ in ordine ad illam: facilius denique, & sine suspitione, vel periculo inordinati affectus potest idem superior in tali causa iudicium ferre: ergo per potestatem, quam ipse habet præcipiendi alteri, ut acceptet Episcopatum, sufficienter subuenitur communi bono. Minor declaratur: quia dum non interuenit præceptum diuinum, vel humanum, homo simpliciter manet liber ad acceptandum, vel respuendum onus Episcopatus: & ideo si illud acceptet, semper videtur propria voluntate, vel honorem accipere, vel periculum se exponere, quæ in Episcopatu maxima sunt, ut August. dixit epist. 148. & Gregorius 1. p. pastoralis cap. 8. & Chrysost. hom. 35. Imperfecti vnusquisque etiam in propria causa non est rectus iudex, & ideo quandiu quis à superiore non cogitur, vix potest prudenter iudicare, melius sibi esse, maiusve Dei obsequium acceptare, quam renuere Episcopatum.

XVI.
An compre-
hendat etiam
simplicem
iussualem
superioris.

Dices fieri posse, ut superior iudicet, & declaret melius esse, maiusque Dei obsequium acceptare Episcopatum, nolit tamen rigorosè illud precipere, sed solum simpliciter ordinare: ergo tunc non obligabit votum non acceptandi, quia non acceptare non esset tunc de meliori bono. Respondet ali-quis concedendo totum, neque hoc esse contra formam emittendi illud votum, eo quod casus ille etiam videatur comprehensus sub illa exceptione, nisi

Franc. Suar. de statu relig. Tom. 1 V.

coactus obedientia eius, qui potest precipere, cum illa ordinatio sit simplex quædam obedientia, ab eo imposita, qui potest precipere, quanuis actu nolit cum rigore precipere, & talis obedientia possit etiam dici inducere coactionem quandam religiosam, sicut iuxta ordinarium vsum religionum, per simplices ordinationes, & obedientias suo modo cogantur religiosi parere; etiam si non interueniat obligatio sub pœna peccati. Sed huic responsioni obstat Declaratio 9. p. constit. cap. 4. lit. B. vbi de Præposito Generali dicitur: Si Pontifex ordinet eum sumere aliquam dignitatem, non tamen ita absolute imperando, ut ostendat se velle eum ad tale officium admittendum obligare, non posse illam admittere sine consensu Societatis, nec Societatem posse consensum præstare, nisi obedientia Sedis Apostolicæ per præceptum, quod ad peccatum obliget, illam compulerit. Et idem repetitur cap. 5. eiusdem partis in fine, & lit. E. Idem ergo est sensus prædicti voti, & exceptionis, quæ in illo fit.

Respondendum ergo, quanuis regulariter non expediat proprium præceptum superioris expectare, sed melius sit simplici eius ordinationi, & voluntati obedire: nihilominus in aliquibus rebus grauioribus, in quibus, vel periculum animæ, vel affectus proprii honoris, aut commodi timeri potest, consultius esse non moueri, nisi ex proprio præcepto superioris. Notauit hoc Soto lib. 7. de iustitia, q. 2. art. 4. vbi cum definiisset cum D. Thoma, & communi sententia, melius esse facere aliquid ex voto, quam sine illo: obijcit sibi, quia sic melius esset religiosi expectare rigorosum præceptum superioris, quam promptè ad nutum eius obedire. Respondet autem in communibus, & ordinariis rebus non ita esse; Quando autem res (inquit) ardua est, eademque dubia, ut si Indos navigare, aut regimini onus suscipere, aut quid simile, consilium est, ut monachus non iniussus, suo proprio iudicio tales subeat provincias, sed præfati mandatum præstet. Quæ doctrina confirmari potest ex alia in lib. 4. c. 14. num. 19. tradita D. Gregorij lib. 35. Moralium cap. 10. aliàs 13. vbi dicit, obedientiam, per quam aliquid prosperum, id est, humano affectui consentaneum præcipitur, debere nihil habere de suo, & ponit exemplum, cum locus superior imperatur. Habet autem de suo, significat idem esse, quod ex proprio desiderio illum suscipere, & non potius iniussu ac nolentem illum acceptare. Et postea Moylis, & Pauli allatis exemplis, concludit, Præuente ergo viroque ducum infracta virtute instituitur, ut si obedientia patriam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius seculi ex sola iussione, aduersis autem, etiam ex deuotione, militemus. Quæ ferè verba transtulit auctor sermonis 5. ad Fratres in eremo, sub nomine D. Augustini, & habetur etiam in cap. sciendum, 8. q. 1. Optimèque præfati instituto inferuit: nam si quæ obedientia videtur habere aliquid de suo, maximè ascendere ad culmen Episcopatus, præsertim in persona religiosa, quæ non solum honorem, & potentiam acquirit, sed etiam subiectionis, & paupertatis vsum effugere videtur.

Sed instabit aliquis ex D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 3. nam licet hoc verum sit, secundum id, quod exterius apparet, secundum tamen Dei iudicium, qui corda rimatur, potest contingere, quod etiam in prosperis obedientia aliquid de suo habens, non propter hoc sit minus laudabilis. Ergo etiam in præfati, quanuis non interueniat proprium præceptum, sed per solam significationem simplicem voluntatis Pontificis moueatur quis ad acceptandum Episcopatum, & ideo dicatur talis obedientia habere aliquid de suo, non propterea erit coram Deo talis obedientia minus laudabilis, si reuera non intendatur proprius honor, aut commodum, sed sola obedientia diuine voluntatis. Quod maximè habebit locum, si præcedat prudens

Bbb 2 iudicium,

XVII.

XVIII.

iudiciū, quod hic & nunc melius sit, & gratius Deo, acceptare Episcopatum, ut contingere potest, etiam seclusa obedientia: ergo multo magis poterit id iudicare accedente simplici ordinatione obedientiæ, etiam si non sit proprium præceptum: ergo tunc non poterit obligare votum, cum non possit impedire maius bonum. Et confirmatur, nam si illa doctrina vniuersaliter vera esset, etiam esset consultius intra religionem non acceptare prælationem, vel aliquod officium honoris, nisi ex riguroso præcepto superioris, & si timor periculi spectetur, non esset acceptanda missio ad Indos, nisi rigurose præciperetur: quod est contra consuetudinem Societatis, in qua hæc conferetur magna imperfectio, & votum non aliter acceptandi huiusmodi officia, conferetur inutile, ac nullius momenti: ergo.

XIX.

Respondeo argumentum conuincere, doctrinam illam non esse ita generaliter intelligendam, ut in omni huiusmodi materia obedientiæ, in qua homo aliquid habet de suo, ratione honoris, aut commodi, vel etiam in qua periculum, aut difficultas inest, necessarium semper esse, aut melius superioris præceptum expectare, aut expediens esse, id vouere: nam reuera non semper id verum est, quia ob alias circumstantias potest esse melius, magisque expedire maiorem promptitudinem in his obedientijs ostendere, in rebus enim moralibus non possunt ex consideratione vnius tantum circumstantiæ, vel proprietatis, generale iudicium ferri, sed omnia expendere necesse est. Doctrina ergo illa Gregorij ad præsens applicata, ita intelligenda est, ut obedientia, quæ aliquid habet proprii commodi, ex genere suo non sit expendenda, nec desideranda, imò neque admittenda sine præcepto, nisi in particulari ob speciales rationes aliud expediat. Quam doctrinam cum Soto nos etiam extendimus ad eam materiam obedientiæ, in qua multum est periculi proprii nocimenti spiritualis.

XX.

Sed in hoc est præterea considerandum, aliquando esse in materia obedientiæ hoc genus difficultatis, & periculi, sine admitione honoris, vel alterius temporalis commodi, ut est in missione ad Indos (quo exemplo vtitur Soto) & talis obedientia facilius acceptari potest, sine præcepto riguroso: quia nihil habet de suo, & ideo verisimilius est, solum in ea expectari voluntatem superioris, quæ licet simpliciter tantum proposita sit, est optima ratio obediendi, & per se loquendo, sufficit ad excludendum timorem difficultatis, aut periculi, spe diuini auxilij, ob cuius amorem talis obedientia suscipitur. Quod maximè verum habet in ea religione, quæ ex proprio instituto, & vocatione his ministerijs incumbit: nam sperandum est gratiam vocationis non defuturam, ad ea pericula superanda, quando pura intentione, & ex voluntate superioris locum Dei tenentis, & de ipso subdito, & conditione eius, sufficientem notitiam habentis, suscipiuntur. Quin potius in tali religione, non solum optimum consilium est promptitudinem ostendere, acceptando huiusmodi obedientiam, verum etiam quodammodo præueniendo illam, ostendendo animum propensum, vel saltem indifferentem, si superior expedire iudicauerit. Quod tamen non est ita in his ministerijs, quæ de suo aliquid habent, ut est prælatio, seu locus regiminis: nam in his, nunquam consultum est ostendere animum paratum, aut indifferentem, ne dum propensum, quia semper imminet periculum, ne homo seipsum potius, quam diuinam voluntatem querat. Et signum à posteriori esse potest, quod promptitudo in prioribus obedientijs alios ædificat, in posterioribus autem minime, sed potius ex se scandalum infert.

XXI.

Est autem vltius consideranda differentia inter prælationem intra, vel extra religionem; quod ex-

tra multo plus habet de suo, quam intra, & contra-
rio verò intra minus habet periculi, quam extra-
religionem. Et præterea generatim loquendo, neces-
sarium est religioni, ut aliqui intra illam præla-
tionem habeant: quod autem extra illam, ad digni-
tates assumuntur, nec necessarium est ad eius gub-
nationem, ut per se constat: nec regulariter est illi
commodum; quia per hoc privari potest meliori-
bus, vel doctioribus religionis ad sua ministeria, vel
ad propriam gubernationem aptioribus, quod e-
gregie ponderat Gregorius, & habetur in cap. Hinc
est, 16. q. 1. præcepit etiam (scilicet Francorum Rex) ut
eiusdem monasterij Abbas nunquam ad Episcopatum digre-
deretur, ne forte occasione Episcopatus Abbatia aliquod detrimentum
pateretur; nimirum priuando se bono pastore, ut
glossa ibidem magis exponit. Ex his ergo differen-
tijs nascitur, ut regulariter non sit expediens, neque
opportunitatem religioni, quod eius religioni non ac-
ceptent intra illam prælationem, nisi riguroso præ-
cepto compellantur, quia hoc nimium difficile red-
deret ordinariū regimen religionis. Satis ergo est,
quod se non faciles, sed potius difficiles ad illa mi-
nisteria ostendant, cū ea moderatione, quam pri-
dens ratio, & intentio maioris obsequij diuini di-
stauerit. At verò extra religionem regulariter, & ex
genere loquendo, consultius, ac melius est non ac-
ceptare prælationem, nisi ex obligatione præcepti,
quia ibi interueniunt omnia, quæ hanc obediendi
rationem postulare possunt, quia illa materia mul-
tum habet de suo, simulque habet coniunctum
magnum periculum, & aliunde non pertinet ad
proprium spiritum, vel ministerium religionis, nec
ad ordinariū regimen eius, nec per se conuenit
verum ac spirituale religionis commodum, & ideo
in ea acceptanda meritò ostenditur tota difficul-
tas, quæ licet ostendi potest, quod sit expectando
proprium superioris præceptum.

Quod si hoc verum est de quacunque religione, XXII
speciali profectò ratione in Societate certissimum
est. Primò quidem, quia ratione sui instituti ac mi-
nisterij maxime indiget doctis, & religionis opera-
rijs, quibus priuaretur, si inuitati ad Episcopatum,
vel dignitates, facile, & sine cogente præcepto illas
acceptarent. Quia ratione vtitur B. Ignatius p. 10.
§. 6. Secundo, quia in hac religione, quo plus esse po-
tèst periculi ambitionis, eò necessarium fuit omnes
occasionalis eius omnino præcludere: & ideo conue-
nienter decretum est, ut non solum dignitates non
procurentur, sed etiam ut propria sponte, quoad
fieri possit, non acceptentur, ut in eodem loco con-
stitutionum dicitur. Tertiò, quia moraliter, ac re-
gulariter loquendo, profecti Societatis docti, & re-
ligiosi vtiliores erunt Ecclesiæ in suo humili statu
permanendo: & ministerio Societatis fideliter exer-
cendo, quàm Episcopatus acceptando. Quæ ratio
confirmari potest sententijs, ac testimonijs S. Do-
minici, & S. Francisci, de quibus refertur cum simul
essent ab Ugolino Cardinali inuitati, eisq; illi dixisset
conueniens fore, si episcopatus suis fratribus se-
lectioribus conferrentur: ambo responderunt se
nunquam in eam rem consensuros: addiditque S.
Dominicus, *Frates mei sublimem statum prædicatorem ha-
bent statum, si illum valeant estimare.* D. autè Franciscus
subiunxit, *Frates mei ideo Minores vocantur, sed propria voca-
tionis submissione contenti, melius Ecclesiæ vtilitatem inferant
valeant.* Et B. Ignatius his & alijs similibus verbis,
& rationibus Paulum III. induxit, ut Societatis in-
stitutum in hac parte illæsum cōseruaret, ut in eius
vita legitur apud Ribad. l. 3. c. 14. in editione Latina;
& idem tandem confirmavit Gregorius XIII. in
constitutione, *Ascendente Domino.* viderique possunt
quæ pro hac re luculenter scribit Nicolaus Orlandus
in lib. 6. Annalium Societatis.

Ex

XXIII. Ex his ergo facili est responsio ad rationes dubitandi in principio positas. Ad primam enim & principalem rationem respondetur, hoc votum nunquam impedire maius bonum, sed simpliciter loquendo esse de meliori bono. Ad primam autem probationem iam in n. 17. responsum est, licet regulariter non sit expectandum rigorosum præceptum superioris ad obediendum, nihilominus in tali materia propter speciales eius condiciones, & propter peculiare etiam rationes pertinentes ad maius commune bonum, melius esse non acceptare sine præcepto. Ad secundam autem probationem in primis dicitur, difficillimum esse fingere casum, in quo secluso præcepto Pontificis, caritas, ex se non obliget ad acceptandum Episcopatum, & nihilominus sit melius & opus consilij illum acceptare. Cum enim ex solo obiecto hoc non sit consilius, maxime comparatione facta ad statum religiosum, ut in superioribus probatum est, & sumitur ex cap. per tuam, de voto, oportet ut ob aliquam grauem Ecclesiæ necessitatem illud iudicetur melius. Hanc verò necessitatem, seu gradum eius, ita definire, seu distinguere, ut sufficiat ad efficiendum opus consilij, quod tale non erat: & non ad obligandum ex charitate, valde difficile apparet in præsentia materia, in qua, non acceptando Episcopatum, consilium, non proprio commodo temporalis, aut corporalis, sed spiritualis, acceptando vero, timeri potest, & proprium periculum spirituale, & deceptio in iudicio, propter naturalem affectum honoris & excellentiæ. Vnde cum alias tota hæc dubitatio auferri possit, si superior præcipiendo interponat auctoritatem suam, nunquam videtur superesse casus in quo sit melius, & consilius acceptare, quam non acceptare, secluso præcepto.

XXIV. Accedit specialiter, quod aliunde etiam intercedit communis ratio totius religionis, ad cuius spirituale commodum maxime necessarium fuit, ut circa hoc esset aliqua lex definita, iuxta quam liceret Episcopatum acceptare, & non alias, quia alias unusquisque suo arbitrio fingeret necessitatem acceptandi, & facile unusquisque induceretur ad iudicandum id esse melius, & maius Dei obsequium. Ad hoc ergo vitandum incommodum, nulla melior potuit præstigi regula, quam ut expectetur superioris præceptum: nam per hoc, & commodo religionis consilium, & cuiusque necessitati, quæ in Ecclesia esse possit, sufficienter subuenitur: ideoque quandiu Pontifex non interponit præceptum suum, nec certa & euidens est obligatio charitatis, securè potest professus Societatis, iudicare, sibi non esse melius Episcopatum acceptare, non solum quia semper timere potest propriæ salutis periculum, ut alias indicauit D. Thom. 2. 2. q. 185, art. 2. & ibi Soto l. 20. de iustitia, quæst. 2. art. 2. Sed etiam, quia ad maius bonum Societatis ita expedit: quod etiam est bonum commune, cui secundum ordinem charitatis magis tenetur prospicere membrum Societatis, quam commodis externorum fidelium, quorum cura magis pertinet ad Prælatos Ecclesiæ. Eo vel maxime, quod professi Societatis, in suo statu permanentes possunt Episcopos inuare, & hoc modo satis subuenire necessitati fidelium, vel cuiusque utilitati, licet Episcopi non sint; ideo nunquam coguntur iudicare esse maius Dei obsequium, Episcopatum acceptare, si præcepto non obligentur.

XXV. Ob hanc ergo causam, merito votum illud in prædicta forma emittunt, & post factum illud votum, iam non solum licet possunt, sed etiam tenentur iudicare esse maius Dei obsequium non acceptare Episcopatum, quandiu non præcipitur. Quod si in particulari occurrat casus, in quo res videatur dubia, supposito voto tollitur omne dubium, quia votum est certum, & in dubio ius illius præfertur. Imò

Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

etiam talis videatur esse casus in particulari, in quo secluso voto videretur clarum, & certum esse melius acceptare Episcopatum, factum iam voto, acceptandus non est, sine præcepto; tum quia votum generaliter factum est: tum etiam, quia nulla est necessitas aliter faciendi, cum facile sit Pontifici præceptum ponere, si omnino vult, ut acceptetur. Exemplum est in Patriarchatu Æthiopie, aut Episcopatu Iaponensi, in quibus multum est oneris, & laboris, parumque honoris, & nihil ferè temporalis commodi, propter quod videri poterat bonum, & optimum opus esse illud acceptare, iuxta verba Pauli 1. ad Thimotheum 3. sic intellecta à Gregorio 1. p. Pastoralis cap. 8. & nihilominus etiam hi Episcopatus acceptandi non sunt à professo Societatis sine præcepto, ut aperte supponitur 10. p. constit. lit. A. ibi, Nec tamen in Patriarchatu & episcopatibus Æthiopie admittendis resisti potuerit. Ergo etiam in illis, quantum est ex parte Societatis, resistendum est.

Ad confirmationem ex c. 1. d. 85. respondetur, XXVI. forte Archidiaconum illum absolutum iuramentum, sine vlla exceptione accepisse, & ideo temerè iurasse, vel cerè, quanuis ille non peccasset iurando, D. Gregorius voluisse quod iuratum fuerat obseruare, quia nulla forte erat necessitas cogendi per præceptum Archidiaconum illum ad accipiendum Episcopatum; non cogente autem alia necessitate melius, & consilius erat iuramentum seruari. Quocirca sententia Glossæ ibi citata, asserentis esse peccatum mortale non acceptare Episcopatum, si is cui offertur, se dignum credit: non est vera, nisi quando sub præcepto imponitur, vel tam euidens est necessitas, ut charitas ipsa obliget. Et ita sunt intelligendi Gregorius, & Augustinus ibi citati, præsertim quod Augustinus in priori loco contra Faustum solum loquitur de ministerio euangelizandi: in alio verò loco de ciuit. requirit ut cura, & negotium proximorum ex necessitate imponatur. Gregorius autem tum ibi, tum alijs locis sentit, neminem debere reputare se dignum, nisi ex iudicio, & præcepto superioris; ut videri licet lib. 1. epistol. c. 10. & l. 3. c. 10. & l. 10. epistol. 5. & idem sentiunt D. Thom. & alij auctores supra citati.

XXVII. Ex quo etiam patet responsio ad ultimam confirmationem; iam enim declaratum est, quomodo ex hoc voto non impediatur commune bonum Ecclesiæ, quia vniuersalis eius pastor, semper retinet ius suum præcipiendi, quod ad illud commune bonum expedire iudicauerit; & alioqui etiam per hoc votum procuratur spirituale bonum, non solum particularis personæ vouentis, sed etiam totius religionis: quod in maius totius Ecclesiæ bonum redundat. Alia, quæ circa hoc votum desiderari possunt, tractabuntur commodius circa finem capituli sequentis.

CAPVT IX.

De voto alio, quod professi Societatis emittunt, audiendi consilia Generalis, si in Episcopos eligantur.

Quia non obstante voto superius explicato, contingere potest, ut professus Societatis cogatur Episcopatum suscipere, pro huiusmodi euentu curam habuit B. P. Ignatius adhibendi aliquod remedium, quo, & salutem professi sic electi, & maiori vniioni eius, cum Societate, maioriq; proximorum edificationi, cõsuleret. Et ob hanc rem statuit, ut qui professionem in Societate emittunt, votum aliud sub hac forma addant. Promitto, si quando acciderit, ut hac ratione in Presidem alicuius Ecclesiæ promouear, pro cura, quam de anima mea salute, ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco, ac numero habiturum Prepositum Societatis Generalem, ut nunquam consi-

Bbb 3

Inm